

terram uolant in aduerso flatu uepribus euitatis. Mira 25  
 obseruatio operis : cessantium inertiam notant, cas-  
 tignant, mox et puniunt morte. Mira munditia amo-  
 liuntur omnia <e> medio, nullaeque inter opera spur-  
 citiae iacent ; quin et excrementa operantium intus,  
 ne longius recedant, unum congesta in locum turbidis  
 diebus et operis otio egerunt. Cum adesperascit, in aluo 26  
 strepunt minus ac minus, donec una circumuolet eodem  
 quo excitauit bombo ceu quietem capere imperitans, et  
 hoc castrorum more. Tunc repente omnes conticescunt.

(11). Domos primum plebei exaedificant, deinde  
 regibus. Si speratur largior prouentus, adiciuntur  
 contubernia et fucis. Hae cellarum minimae, sed  
 ipsi maiores apibus.

XI. Sunt autem fuci sine aculeo, uelut imper- 27  
 fectae apes nouissimaeque a fessis aut iam emeritis  
 inchoatae, serotinus fetus et quasi seruitia uerarum  
 apium ; quam ob rem imperant iis primosque expel-  
 lunt in opera, tardantes sine clementia puniunt.  
 Neque in opere tantum, sed in fetu quoque adiuuant  
 eas, multum ad calorem conferente turba. Certe quo 28  
 maior eorum fuit multitudo, hoc maior fit et exami-  
 num prouentus. Cum mella coeperunt maturescere,  
 abigunt eos multaeque singulos adgressae trucidant.  
 Nec id genus nisi uere conspicitur. Fucus ademptis  
 alis in aluum reiectus ipse ceteris adimit.